Schonei Andr. Fidus Comes ad Joannem Comitem in Tenczyn.

Fidus Comes
D. ANDREÆ SCHONEI,

AD ILLVSTREM AC MAGNANIMVM IVVENEM, AC DOMINVM, D. IOANNEM COMITEM IN TENCZYN, FAVTOREM suum singularem.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij.
Anno Dñi, 1601.

Fidus Comes

ANDREÆ SCHONEI,

AD ILLVSTREM DOMINVM, D. IOANNEM COMITEM IN TENCZYN.

IAmné iterum externas animus fert visere gentes,
Vrbesq; atq; hominũ egregios cognoscere mores,
Magne Comes, claro de sanguine TOPORORVM,
Quo non in toto genus est antiquius orbe
Sarmatico. Ante ipsum Lechum, Cracumq; fuerunt
TENCINII, nati primæua ab origine gentis
Arctoæ: necdum certum nomenq; laresque,
Haudq; magistratus, legesq; Polonia habebat,
Et tamen has oras TENCINIA fama replebat;
Indigenæ veri, vera atque Aboriginum imago,
Quos Graiiq; vocant αὐτόχθονας ore rotundo.
Rarum est per populos omnes, tot secula stirpem
Vnam durare, & factis extendere nomen
Latiùs asiduè, ac patrimonia prisca tenere,
Primorumq; arces, fundosq; habitare parentum,

Cùm tamen inuidioſa ætas, & dira Nepotum
Luxuries cuncta infelice ligurriat ore,
Et Regum decora alta ruant à culmine auito,
Et nati Heroum illuuieq; fameqúe premantur.
Iamné iterum patriæ fines, & dulcia regna
Linquis; quæ toties victrici Marte, manuqúe,
Defendere tui Proaui, legionibus amplis,
Caſibus in variis, feliciter imperitantes;
Exercere boni fera munera militiai,
Quæ toties pace in media, rebusq; ſecundis,
Conſilio atque animi decorarunt viribus altis.
Namque velut madidis cum nubibus emicat Iris
Diſcolor, æthereo nimbis fulgore repletis,
Nubila mox deterguntur, pluuiæq; reſidunt,
Incipit & cœlum irradiari luce ſerena.
Sic vos TENCINII, dicti de nomine pulchræ
Iridis, incumbente graui diſcrimine rerum,
Læti affulſiſtis ſemper, patriæq; ſalutem,
Et decus & pacem cum libertate tuliſtis,
Per medias flammas, aciesq; audace ruentes
Pectore, non mortem, non vulnera ſæua timendo,
Priuatisq; malis redimendo publica damna.
Ahné iterum charos fratres, dulcesq; ſorores
Deſeris, & poteris ſiccis diſcedere ocellis?
Haudq; pij erumpunt ſingultus, nec lachrymarum
Perqúe genas, perqúe ora vbertim flumina currunt?

Tres fra-

Tres fratres eſtis, vobis innixa recumbit
Tota antiqua domus, ſpesq; omnis nominis alti,
Vnum at cor vobis, mens vna, eademq; voluntas.
Non ſic Pirrithoum Theſeus, Pylades nec Oreſtem,
Non ſic mater amat natum, non ſponſa maritum,
Nec vitis ſociæ ſic arctè aſtringitur vlmo,
Vt vos pectoribus fidis ſpiratis amorem,
Complexi æterno per mutua vincla adamante;
Nunquam odiis vltricibus, inuidiaq; maligna,
Nunquam certaſtis rabioſæ verbere linguæ,
Ipſum etiam haud nutu tacito læſiſtis amorem,
Alter & alterius ſemper cumulaſtis honorem.
Rara fuit talis fratrum concordia ab omni
Seclorum ſerie, atque proinde æterna manebit
Aurea ſtirps veſtra, haudq; illam obruet atra vetuſtas.
Iamné iterum ad populos alios proficiſceris, annos
Qui tot in Italiæ es pulcra regione moratus,
Arnus vbi Hetruſcas leni ſecat agmine terras,
Aut Tybris, dominam rerum perlabitur vrbem,
Aut vbi Parthenope monſtrat iuga celſa Veſeui,
Olim expirantis flammas, rutilamq; fauillam,
Finitimisq; locis caſum excidiumq; minantis?
Contigit egregios illic audire Magiſtros,
Qui variis pectus formarunt artibus, illic
Barga ſacras duxit te pulchri Heliconis ad vmbras,
Et cultè fari docuit, Mazonius alter

Abdita naturæ pandit, radioq; iacentes
Deſcripſit terras, ſecumq; per æthera vexit,
Monſtrando ſolisq; vias, lunæq; labores.
Inuenias paucos, claro de ſanguine cretos,
Aut etiam obſcuris lacerisq; penatibus ortos,
Qui bene prima æui traducant tempora, & artes
Per varias animum ſcitè excoluere recentem.
Aſt alii Veneris damnoſæ caſtra ſequuntur,
In luſtris tenebrisq; impura ſub meretrice,
Rem patriam perdunt, vireſqúe, animiqúe vigorem,
Pars fidibus gaudent, & carmina amoribus apta
Imbelli cythara, ſtudio modulantur inani.
Pars genio indulgent, tumidoq; abdomine ventres
Immodicis onerant epulis, plenisq; culullis
Ad numerum potant, madidi nocteſqúe dieſqúe.
Exercent alii numeroſa lege choreas,
Ridiculo & ſaltu huc illuc vaga corpora librant.
Non hæ Nobilium ſunt artes, patriciiqúe
Sanguinis, aut quorum ſtimulat præcordia virtus,
Sunt aliæ atque aliæ : didiciſſe fideliter artes
Ingenuas, patriæ leges cognoſcere & acta,
Militiamqúe pati duram, rigidoſqúe labores
Excipere, & ſemper iucundis vtilibuſqúe
Eximiam laudem, & verum præponere honeſtum:
Iura ſacerdotum, diuinam & Relligionem,
Quam varios inter caſus, dubiaſqúe procellas,

Roma illibatam ſeruat, defendere promptè,
Non ſolùm clypeo & parma, ſed acinace & haſta,
Et pulcræ per mille neces occumbere morti.
Tales vos eſtis, gens inclyta TENCINIDARVM,
Tergemini fratres, magnum patriæ incrementum;
Non amor & vinum, veſtra ardua pectora fregit,
Non numeris, ludiſq; procacibus inuigilaſtis,
Sed ſemper ſtudiis animum intendiſtis honeſtis,
Non tam quid libeat, patrantes quàm quod oportet.
Etſi diuitiæ amplæ, & ſanguis feruidus æui,
Poſt patris & patrui mortem, cuſtode remoto,
Ad mala perliceret, veſanas deliciaſq;
Ipſum etiam tetricum Senecam, rigidumqúe Catonem,
Campanos nunc iuuit equos moderarier arte,
Et facili in varios gyros conuertere habena:
Nunc Tuſcos agitare apros & figere ceruos,
Et diſco, atque agili membra indurare palæſtra.
Iuuit in Vngaria audaci concurrere ferro,
Iuuit & intrepidè Batauo inſultare rebelli.
Inſuper expugnare arces, & figere tutis
Caſtra locis, acieſq; inimicas rumpere dextrè,
Militiamq; aliam primis didiciſtis ab annis.
Cura tamen vel prima fuit perdiſcere doctas
Artes, & varias rerum cognoſcere cauſas.
Verſaſtis crebrò Senecam, Tacitum, ac Patauinum,
Arpiniq; decus, Stagyræqúe, altumqúe Platona.

Verſaſtis

Verſaſtis rigidi nodoſa volumina Iuris,
Sæpe & in Euclidis ſcripſiſtis puluere formas.
Teſtis ego haud vanus, qui doctis ſæpe ſtupebam,
Noctes atque dies vos impalleſcere chartis:
Vos mecum ſoliti ſtudio certare flagranti,
Paſsibus & paribus veſtigia fiximus alta,
Imò diſcipuli viciſtis ſæpe Magiſtrum,
Et ceſsit laudi veſtræ mea cognita virtus.
Macti ergo tantis virtutibus, ingeniiſqúe,
Magna manent omnes tres præmia, & ardui honores,
Quicquid & in patria ſplendet, Rex optimus vltrò
Offeret, atque ſinet vos in regno eſſe ſecundos.
Hoc genus antiquum, maiorum & clara trophæa,
Ingeniumqúe ſagax & virtus veſtra meretur.
Qui patriam ornaſtis toties per auos atauoſqúe,
Fas & iura iubent, vt vos quoque grata memorq́;
Pro meritis tantis patria ornet ametq́; viciſsim.
    Sed quas, magne Comes, tandem oras lætus adibis?
Magnanimi forſan GABRIELIS facta ſecutus,
Ibis ad armiferos Belgas, & Iberica caſtra,
Hiſpanoſq́; graues imitabere belligerando,
Proqúe Deo aſſueſces felicia prælia inire.
Vt ſi quando tuam vrgerent immitia fata
Sarmatiam, tanquam cœlo delapſus atroces
Submoueas hoſtes, libertatemqúe reducas.
Scipio ſic iuuenis, patriis exercitus armis,

Pòſt ſæuum Hannibalem ſtrauit felice duello,
Ac domuit Lybicas arces Chartaginis altæ.
Hoc tamen hoc à me præceptum ſuſcipe lætus,
Si quando à rigido dederit certamine Martis
Ocia & alternam requiem Bellona ſuperba,
Non etenim ſemper vexant vada ſalſa procellæ,
Non ſemper gelidis erumpunt nubibus imbres,
Ad Muſas referas te totum pectore miti,
Vtereq; aſsiduè viuis, mutiſqúe Magiſtris.
Sic Macedûm Rex ille potens,arma inter & hoſtes,
Sæpe volutabat diuina poëmata Homeri,
Ipſa etiam in ſomnis capiti ſupponere ſuetus,
Scriniolo & pulcro, gemmisq; auroq; rigenti
Darii victi, vatem dignatus eundem.
Et genitor Peleus tendenti ad Pergama Troiæ,
Phœnicem charo comitem ſociauit Achilli,
Qui tenerum os iuuenis nitido ſermone poliret,
Res gerere & magnas vſu formaret & arte.
Eſt inter fidosq; Deo, Regiq; Brabantos,
Vrbs vetus & celebris, ſtatio gratiſsima Muſis,
Illic magna ſuper, celebri applaudente iuuenta,
Pulpita Gymnaſii, fundit ſapientia verba,
Lipſius, in toto quo non facundior orbe,
Altiùs humano ingenio ſeſe exerit, haudq;
Aurea vox hominem ſonat, attonitus ſtupet omnis.
Nemo acres Taciti peruidit acutiùs artes,

Nemo grauem Senecæ mentem rimatus ita altè,
Quæ quanta & qualis fueris Roma inclyta, quaué
Militia, victis tot gentibus imperitaris,
Omniſcius docuit nos Lipſius, optimus author.
Illum Roma ſacram toties acciuit ad vrbem,
Acciuerę patres Veneti, ſuper Adria amaro,
Pollicitis magnis, & conditionibus amplis.
Illi etiam Regeſqúe duceſqúe, altiq; tetrarchæ
Inclinant ſeſe, & faſces ſubmittere gaudent.
Atquę alii volitant velut vmbræ, militat ille
Muſarum in caſtris ſolus ferè, & aſpera colla
Barbariæ, ingenii ancipiti mucrone recidit.
Ergo grandiloquo laudati Lipſii ab ore
Creber & attonitus pendens, ſublimia verba,
Aure bibas auida, atque fideli mente repone,
Inqúe ſinu tacito lætare, acſi reperiſſes
Pigmalionis opes, aut Lydæ pondera Garæ.
Vilius ingenio eſt aurum, ſapientiaqúe omnes
Diuitias Arabum exſuperat, Regumq́; tiaras,
Nec niſi vir ſapiens opibus ſcit grandibus vti.
Illa animi morbos leuat, inſanoſqúe dolores,
Elidit curas, atque anxia pectora mulcet,
Æquè diuitibus prodeſt, inopumq; tabernis,
Æquè florenti iuueni, tremulæq; ſenectæ.
Illa vrbes & regna tenet, populosq; beata
Componit pace, & mediis dominatur in armis,

Atquę

Atque ideò Atrides, plures optabat habere
Neſtoras, impauidos quàm Aiaces aut Diomedes.
Arte ſecat fluctus, atque æquora concita ventis
Nauita, & arte regit volucres auriga quadrigas,
Et mole opprimitur propria, vis conſilii expers.
Sic tamen ingenium exerce feliciter, atque
Doctrinas varias, pleno ore & pectore libes,
Vt memor vſque mei, nunc vi vrgens, nunc prece blāda,
Palladii mihi concilies præcordia LipsI,
Pauculaq; hæc pro me ne dedignere referre.
Eſt Schoneus quidam Arctoo ſub ſidere, vbi vrbem
Egregiam Craci, tumido Iſtula proluit amne,
Hic te amat impenſè, veluti ſua lumina chara,
Et miratur opes fœcundæ mentis, & alti
Ingenii, magnus virtutum præco tuarum:
Hunc Lipsi redama, & charis conſtringe lacertis,
Nec faſtidito deformem pulcher amicum,
Atque vel extrema ſolij imi parte locato.
Candidus eſt Schoneus, ſine fuco, felleq; amaro,
Diſsimulare nequit, falſos aut fingere vultus,
Nunquam tabifico liuore expalluit ora,
Nunquam poſt alios aures agitauit aſelli,
Aut canis ardentis linguam protendit anhelam.
Et licet haud valeat librare per aëra corpus,
Suſpicit aſt alios lætus felicibus alis
Ferri, victoresq; virûm volitare per ora.

Nulli ſe tumidus præfert, non ſpernit & vllum,
Secum habitat, vena contentus paupere, & arcto
Ingenio, quod cura dedit, naturaq́; parca.
O me felicem ter & amplius, atque beatum,
Lipſius inſignis, ſi me dignetur amore.
Cuius amorem, non Regum mutauero amore.
Nos alternantis reddemus mutua amoris,
Et ſtudiis fidis certabimus officiisque,
Nec tuus è noſtro cadet vnquam pectore vultus.
    Sed quoniam iam certa animo ſententia ſedit,
Ire viam, quæcunque vſquam ſunt omina fauſta,
Atque bonæ voces, læto tibi comprecor ore.
Non Hyades pluuio contriſtent frigore cœlum,
Non atramué hyemem glomeret nymboſus Orion,
Non aſper Boreas immani turbine terras
Verberet, haudq́; Eurus ſtridentibus infremat alis.
Non micet æthra igni, non & fragor intonet ingens,
Non ſiluæ, montes, fluuiique, niuesq́; morentur,
Non animum curæ per dira inſomnia vexent,
Non corpusq́; vrant longi faſtidia morbi.
Perq́; viam totam ferali carmine Bubo,
Atque aliæ augurio infami horribiliq́; volucres
Conſidant tacitæ, vox & fruſtretur hiantes.
Sint ſine nube dies nitidi, ſine frigore noctes,
Aſsiduè Zephyri ſpirent, auræq́; ſalubres,
Rideat & tellus, & flores vndique fundat,

Leniter

Leniter & rauco decurrant murmure riui.
Per nemora & ſiluas, volucres te voce ſalutent
Melliflua, & varient vocum diſcrimina mille.
Sæpe ſub ora tibi veniant damæ, leporeſqúe,
Ceruiq; aëripedes, & ſæuis dentibus apri,
Igniuoma quos glande petas, ſternaſq; ruaſq;.
Vt quondam es ſolitus, cum Principe Etruriæ, in atris
Piſarum ſiluis, perq; horrida teſqua Liburni,
Pugnaces agitare feras, prædamq; referre.
Ante vrbes videas, iuuenes equitare ſuperbè,
Atque Italum in morem tumidos domitare caballos,
Aut celeres torquere arcus, certareq; curſu,
Vibrare & validis hoſtilia dura lacertis.
Denique cuncta fluant optatis curſibus vſque,
Et vigeat ſemper mens læta in corpore ſano.
  Nos hîc thuricremas ſoluemus vota per aras,
Atque ſacris templis libabimus oſcula pura,
Omneſq; æthereos proceres, cœliq; Quirites
Præſentem poſcemus opem, vt Rex ætheris alti,
Aligerum excelſa Gabrielem mittat ab arce,
Qui tibi ſit ſemper fidus cuſtoſqúe comeſqúe,
Dirigat & greſſus, optatis ſiſtat & oris,
Atque acies inter medias & perfida tela
Incolumem ſeruet, tuto & munimine cingat.
Ac tandem egregiam laudem, & ſpolia ampla ferentem,
Poſt hyemes aliquot feliciter inde reducat

Ad patrias sedes, vbi magna negocia regni
Mente geras solida, claris & honoribus auctus,
Ante alios longè emineas belloq; togaqúe,
Atque tuis tantum accumules laudis decorisqúe;
Quantum es per longam seriem patrum adeptus ab illis.
Hæc tuus ille tibi pura optat mente Schoneus,
TENCINIÆ gentis vetus atque fidelis alumnus.